



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Inutiles hominum labores & cupidates.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

euli, utique postquam & domus, & omnis ejus apparatus, & domina subito evanuit, exsternati & foetore avernali percussi, conciderunt, & porcorum ritu extenti jacuerunt. Omnes tres cæno conspurcati, & pæne etiam cooperti, quisque domum suam reportantur. Unus illorum mox vivere desiit, imò æternum mori incepit; duo cæteri provixerunt, an suam in salutem, an longiores in pœnas, incertum est. Tu cave, ne quosvis in amplexu ruas. Quid enim fallacius & fugacius est nubibus? quæ & quanta ex illis oculorum ludibria? dum putamus spectare arces arcibus, montes montibus impositos, gigantum cælo pugnantium portenta apparere, acies armatas inter se hostiliter concurrentes bellari, repente & momento citius in auram grandia hæc nubium spectacula evanescent. Non aliter se habent spes, timores, amores, gaudia mortaliū: videmur amplexu illa stringere; & subito è sinu evolant, nostrósque hiatus deludunt. Ælius Lampridius in Heliogabalo memorat, parasitos ab eo ad rotam aquariam ligatos, & cum vertigine sub aquas missos, rursusque in summum revolutos, eosque *Ixionios amicos* vocatos fuisse. Præclarus in hac rota typus inconstantis fortunæ, præsertim aulicæ, quæ alios in altum subito evehit, alios ex nubibus ad inferos repente deprimit. Ideirco rotatiles hi Ixiones cum calculis arithmetico-rum comparantur, qui nunc decem millia, nunc unum significant, prout super abacum sursum, deorsumque volvuntur. De Centauris semiviris & semibrutis ex Ixionia libidine procreatis hoc unum hic suffecerit monuisse: foedissima tunc monstra & flagitia nasci, rotis inferorum digna, quando *Heris & Onani* filiorum Judæ, Genes. 38. turpitudines repetuntur.

IV.

Sisyphi Saxum. Ex Virg. 6. Æn. & 4. Metam.

Ethicè.

Inutiles hominum labores ac cupiditates.

Ovidius 4. Metam, post Tityum, Tantalum (de quo superius egimus) Ixionem, etiam Sisyphi, & Danaidum Beli filiarum in Tartaro pœnas dantium meminit, dum ita canit:

Viscera præbebat Tityus lanianda, novemque
Jugeribus distractus erat. Tibi, Tantale, nullæ


Q 9 9 3

De-

Deprenduntur aquæ : quæque imminet, effugit arbor.
 Aut petis, aut urges ruiturum, Sisyphæ, saxum.
 Volvitur Ixion, & se sequiturque, fugitque:
 Molirique suis lethum patruelibus ausæ
 Assiduè repetunt, quas perdant, Belides undas.

Ethica.

(c) *Sisyphus* igitur cum Atticam Latrocinii infestaret, à Theseo occisus est. Hunc Poëtæ fabulantur eo supplicii genere apud inferos plecti, ut saxum ingens in montis cuiusdam verticem cogatur provolvere, quod iterum iterumque relapsum, identidem revolvere cogitur, inani conatu. Variam explicationem patitur hæc fabula: Communior est, per Sisyphi saxum designari vana mortalium studia: montem, in quem revolvitur, huiusce vitæ cursum esse, cui quietem & tranquillitatem nullam variæ cupiditates concedant: dum alii in cumulandis opibus, alii in honoribus & magistratibus, alii in gloria & celebritate rerum gestarum, alii in scientiarum cognitione, alii in eximia corporis forma, aut sanitate, aut nobilitate, aut in rebus huiusmodi, felicitatem suam esse sitam arbitrantur: qui cum re optata potiti sunt, rursus in inum relabuntur: & qui antè in divitiis comparandis erat anxius, nunc est in acquirendis honoribus, nunc in recuperanda valetudine sollicitus: atque ita semper in aliquam relabitur perturbationem, neque apicem summum, in quo beatitudine ac quiete sperata fruatur, obtinet unquam. Præterea Sisyphi saxum dicuntur volvere homines, in exhausto atque inutili labore fatigati. Non nemo Sisyphi saxum ad pœnam talionis applicat, juxta illud Prov. 26. *Qui voluit lapidem, revertetur ad eum*; id est, qui perniciem in alios fraudulenter molitur, illâ ipsâ caput suum involvit. Accipias etiam per Ixionis Rotam, & Sisyphi saxum, Circulum illum infelicis inferorum æternitatis, qui semper volvitur, & revolvitur: redit in se ipsum, semperque se sequitur, atque fugit. Quò etiam referri potest pertusum Danaïdum Dolium, semper implendum, nunquam explendum.



(c) *Inutiles hominum labores & cupiditates.*

V. Da-